

oo ge

36

AD AUSCULTANDAS ORATIONES
VALEDICTORIAS
DE
SPIRITVS SANCTI
PERSONA, BENEFICIIS ET EFFUSI-
ONE SUPER APOSTOLOS,

d. Jun.

ANNO MD. LXXIV.

IN SCHOLA CIZENSI
RECITANDAS

EJUSDEM PATRONOS ET FAUTORES
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA
ET MODESTIA INVITAT

M. JOHANN. Krauß / Rect.

C I Z Æ,

Typis Joh. Ruperti Reils.

36

Appetiit iterum per Dei gratiam latissimum Pentecostes festum, quo in publicis Christianorum panegyribus doctrina de Spiritu Sancto, ejusque persona, officio & beneficiis plurimis ex instituto tractatur, contra heterodoxos asseritur; hominesque ad sanctimoniam vitamque Spiritui Sancto placentem diligenter excitantur. Sicut verò in veteri Testamento tria cum primis erant festa solemnissima,

1. חג מצות festum azymorum seu paschatis.
2. שבועות חג festum hebdomadum seu Pentecostes.
3. חג סוכות festum tabernaculorum, in quibus omnes Judaei sexus potioris convenire, & cultum Deo debitum praestare debebant: Vid. Laur. Fabricius in partitionibus Codicis Hebraei cap. 25. Joh. Jonstonus in schediasmate de festis Hebraeorum & Graecorum cap. 3. Geminò modò & in novo Testamento festa natalitatis & resurrectionis Christi, effusionisque Spiritus S. solemnitate sua praeceteris festis sunt conspicua, & religiosâ devotione celebranda. Haud temerè verò hîc nobis venit in mentem tristissimi fati, quod anno 1453. a. d. IV. Kal. Jun. hoc ipso festo Imperium & urbs Constantinopolitana experta est, quodque ipsi non minùs fuit acerbum & luctuosum, quam festum Paschatis quondam Gallis Siciliam tenentibus. Quemadmodum enim hi ann. 1282. d. 30. Mart. feria 2. Paschatis, cum signum campana daretur

ad

ad preces vespertinas, à Siculis insolentiam illorum perta-
sis & contra illos unâ mente conspirantibus, ad interne-
cionem omnes occisi sunt, ita ut duarum horarum spatio
octo millia eorum trucidarentur, nullâqve etatis & sexûs
ratione habitâ ne prægnantibus quidem parceretur: Vid.
Dresserus Isag. histor. millen. 6. in vita Rudolphi Hab-
spurgici p. 382. & Calvisius in Chronol. in vita ejusd.
Unde & vespera Sicula proverbio locum fecerunt: Ita
Græcis Pentecoste anni suprâ allegati fuit inauspicatissi-
ma. Etenim Muhammedes II. anno tertio regni, vere
primo, Constantinopolin, contraâto in Europa Asiaqve
quadringentorum millium exercitu, terra mariqve ob-
federat. Erant ei sternendis mœnibus tormenta anea,
prægrandia, quæ globos emitterent librarum 400. in-
ter quæ unum à LXX. boum jugis, & viris bis mille tra-
hebatur. Secuta etiam sunt navigia plura ducentis.
Cum XL. dies continuos in muros detonuisset, promisit
ei, qui primus per ruinas irrumperet, amplissimam Euro-
pæ provinciam, exercitui verò ditissimæ urbis triduanam
direptionem. Si qui segnius rem gereret, ei capitis pœ-
nam statuit. Indixit simul tridui jejunium, omnes vel
ad moriendum, vel vincendum paratos esse jubens.
Constantino pacem petenti, centena aureorum millia an-
nua imperat, aut salvis opibus incolumem ex urbe disces-
sum. Quarum conditionum cum neutra placeret, reno-
vatur oppugnatio. Erant autem in urbe sub initium

præter cives sex millia Græcorum militum, & tria
millia auxiliariorum, Venetorum & Genuensium. Na-
ves etiam pauca Genuensium, Cretensium & ex Chio,
vim hostium in portu aliquamdiu sustinebant. Simul
ac vero Justinianus Genuensis, qui cum trecentis arma-
tis primum impetum sustinebat, accepto vulnere, quan-
quam non letali, fugere cœpit, nec à Constantino, ut in sta-
tione maneret, precibus adduci potuit; secuti eum sunt mi-
lites alii; Constantinus ipse, & qui circa eum erant, in fu-
gam versi sternuntur. Porta obstruuntur cadaveribus, ne
fuga fugibundis pateat. Mascula pubes penè universa oc-
ciditur: virgines & matronæ meliores rapiuntur in servi-
tutem ultra LX. millia. Atque ita Constantinopolis, quæ
inde à Constantino M. Helenæ filio, usq; ad Constanti-
num Palæologum Helenæ filium (quod utrumque nomen
urbi fatale fuit, de cuiusmodi nominibus vid. Gregorius
Richterius in Axiomatibus Oeconomicis axiom. IV. p. 21.
seqq.) per annos 1120. circiter sedes fuerat Imperii Orien-
talis, in Turcarum potestatem concessit, expugnata feria
3. Pentecostes. Vid. præter auctores supra laudatos Joh.
Cluverus in Epitome histor. in vita Friderici III. & Mu-
hammedis II. Ceterum si promachi religionis Pontificiæ ra-
tionem reddere debeant, cur eo ipso festo, quo Spiritus S.
memoria in Ecclesia recolitur, hanc calamitatem Græcis
Deus imminerit; eam à perverso dogmate de processione
Spiritus à solo patre, & non à filio, quod Græci mordicus
defen-

defendunt, apertè deducunt: Quamquam enim Leo Alla-
tius in libro de consensu Orientalis & Occidentalis Ec-
clesiæ, ejusque parastata Bartholdus Nibhusius, apostata,
magno conatu probare ausint, ab incunabilis Christia-
ni nominis ad hæc usq; tempora in dogmatibus fidei inter
has duas Ecclesias eandem fuisse sententiam, eandem men-
tem, nec ullo unquam tempore fuisse Ecclesias istas dis-
junctas aut adversas: Robertus tamen Bellarminus T. 1.
Controv. l. 2. de Christo cap. 21. doctrinam Græcorum
de processione Spiritûs S., disertis verbis, hæresis nomine
insimulat; Imò Cornelius Cornelii à Lapide Comment. in
cap. II, 1. Actorum scribit: Græci negantes Spiritum
s. procedere à patre & filio, cum de hoc errore se-
pius ac ultimò in Concilio Florentino à Latinis fu-
issent reprehensi, perstiterunt tamen in illo. Unde
in Concilio Florentino prædixit eis Nicolaus V.
Pontifex per literas, fore, ut triennio exacto in-
Turcarum potestate veniant &c. et ne quis dubi-
taret, eos ob blasphemiam in spiritum s. hæc pœ-
nâ multatos, capta est Constantinopolis à Tur-
cis, occisus Constantinus, ultimus Græcorum Im-
perator, die tertiâ Pentecostes a. 1453. Justè Turcis
Deum unū confitentib., & trinum negantib., ideoq;
spiritum s. respicientib., traditi sunt Græci, qui Latinis
ss. Trinitatem & spiritûs s. divinam ex patre
& filio processionem confitentibus consentire &

se subdere noluerunt. *Meum non est, de dogmate isto arbitrari, de quo videndi sunt Principes Theologorum nostrorum Mart. Chemnitius T. 1. LL. Theol. loco de Spiritu S. cap. IV. num. V. pag. 94. & Gerhardus T. 1. LL. Th. loco de Spirit. S. cap. IV. Ab his docemur, Græcos antiquiores, quamvis interdum dicerent, Spiritum S. procedere à patre per filium; non negasse tamen, eundem quoque procedere à filio, [quorum testimonia, uideri possunt apud Gerh. l. c. §. 84.] & sic de re ipsa rectè sensisse: Græcos autem recentiores uti in aliis pluribus dogmatibus, ita & in hoc perperam docuisse. Neque etiam adyta iudiciorum diuinorum curiosius rimari fas est: Sufficit adduxisse epicrisin, quam habet Historia Ecclesiastica Gothana lib. 2. cap. 4. sect. 7. §. 10. Ita, iniquiens, diuina Nemesis pessima Græcorum Imperatorum facta, dissidia, ignauiam, libidines & corruptelam puræ doctrinæ, post longam patientiam ultra est, torpore ceteris Christianis, & ipsi, ut negari nequit, Friderico Imperatori immisso: Pontificibus etiam sua, non quæ Dei sunt, curantibus. Per quæ vitia barbari hostis furor auctus est, ut ad pomeria usq; nostra armis ferè semper victricibus inde progredetur. Cavendum proinde etiam atque etiam est nobis, ne nostro, quod dicitur, iumento similem cladem attrahamus, aut per peccata proæretica Spiritum S. excutiamus: sed potius dili-*

diligentissimè cum singulis diebus, tum hoc præcipuè tempore beneficia spiritûs s. expendenda sunt, isq; calidis votis rogandus, ne unquam destituisse nos velit. Tempori præsentì servire quoq; constituerunt tres ex veteranis & probis scholæ nostræ alumnis; qui cum propediem hinc migraturi sint, primus quidem in Illustre Gymnasium Weissenfelsense, ubi in numerum beneficiariorû Reverendisf. & sereniss. Principis Augusti cooptatus est; Reliqui duo in Inclytam Academiam Lipsiensem: Orationibus suis valedictoriis argumentum tempori congruens elegerunt.

I. igitur ADAMUS JAMPERTUS Mutschensis Misn.

Oratiuncula syriaca (cujus lingua, ut & cæterarum Orientalium singulari amore flagrat) divinum effusionis spiritûs s. super Apostolos beneficium celebrabit. Eorum deindè, quos faventes sibi expertus est, benevolentiam variis Carminibus syriacis, Hebraicis, Chaldaicis, Grecis, Latinis & Germanicis collaudabit, omnesq; ex voto valere jubebit.

II. CHRISTOPHORUS Effiger / Kretschwicens. Misn. de spiritûs s. persona & idiomatibus divinis Græcè orabit.

III. CHRISTOPHORUS Erler / Rasbergâ Cizensis spiritûs s. beneficia varia Oratione Latinâ recensabit.

Eâdem

Eadem verò operâ & ipsi patronis ac nutriciis, pro beneficiis in se collatis gratias, & Scholæ nostræ ultimum vale, diversis diversarum linguarum carminibus, dicent. Propemptica recitabunt

Job. Georgius Zeidler/ Cizensis, Carmine Græco.

Carolus Christianus Prebiß/ Wurzenfis, Carm. Latino.

Johann. Pfau/ Wuizensis, Carm. Germanico.

Propitium autem Numen exorandum est, ut his bonæ spei adolescentibus, cum angusta re domi confidantibus, benevolos patronos excitare clementer velit, ut Studiorum telam feliciter ad Dei gloriam & communis egregii commodum pertexere possint.

Quod superest, Vos, Patroni Scholæ nostræ Spectatissimi, & Fautores honorandi, observanter ac officiosè rogatum venio, ut recitationi harum orationum, quæ die crastini hora 8. instituetur, haut gravatim adesse dignemini. Id adolescentes abituri juxtâ mecum in egregii favoris & benevolentie loco habebunt. Cize a. d. 4. Id. Jun. anno 1674.

Adzæ τῶ Σιῶ.

AB: 155735 (1)


ULB Halle 3
003 023 915




80

Vb 12







36

CULTANDAS ORATIONES
A LEDICTORIAS

DE

TVS SANCTI
, BENEFICIIS ET EFFUSI-
SUPER APOSTOLOS,

d. Jun.

O CIO. IO. C. LXXIV.

SCHOLA CIZENSI
RECITANDAS

PATRONOS ET FAUTORES
A PAR EST, OBSERVANTIA
MODESTIA INVITAT

HANN. Krauß / Rect.

C I Z Æ,

ois Joh. Ruperti Reils.

36